

## Distinctio IX Pars Secunda

**/Vb 173rb; X 331b/** “Hic queri potest”, etc. Postquam Magister ostendit de generatione divina quomodo sit, in hac parte inquit quomodo exprimenda sit. Et circa hoc tria facit. Primo enim movet quaestionem. Secundum inducit solutionem. Tertio ponit dictorum recollectionem. Secunda ibi: “Sed ne tanti Doctores”; tertia ibi: “Dicamus ergo Filium natum”.

Circa primum Magister duo facit. Primo enim inducit auctoritates, quibus videtur posse probari quod melius exprimatur Filii generatio dicendo quod est semper natus quam dicendo quod semper nascitur; et est prima auctoritas Gregorii 29 *Moralium*, in principio, qui ait quod dominus Iesus de Patre ante tempora natus est, quia nec coepit nasci, nec desiit, verius dicitur semper natus, quatenus natus ad perfectionem pertineat, semper ad aeternitatem.

Secunda vero est Augustinus super illud Psal. “Ego hodie **/Vb 173va/** genui te”, qui ait quod dixit Propheta, ‘Hodie’ ut innueret quod generatio nec est praeterita quasi desierit, nec futura ut nondum sit, sed praesens tantum, quia quicquid est, semper est.

Tertia adducit Chrysostum in glossa super illud ad Hebr. primo, cui enim angelorum qui ait quod ex verbis Prophetae dicentis, Ego hodie genui, te nihil manifestatur aliud, nisi quod ex essentia Patris semper genitus est Filius.

Secundo ibi: “Origenes vero”. Inducit auctoritates, quibus probatur quod melius dicatur quod Filius semper generetur a Patre quam quod sit generatus. Et est prima Origenis exponentis quomodo Filius est sapientia et splendor lucis aeternae; et dicit quod hoc est quia salvator noster semper nascitur, sicut splendor qui non semel nascitur et desinit, sed quotiens lumen oritur, totiens oriri necesse est et splendorem. **/X 332a/**

Secundam ponit eiusdem Origenis, qui ait quod bene dicitur Proverb 8: “Ante omnes colles generat me Dominus”, non ut quidam male legunt, “Generavit me”, quia Filius est in continuo generari.

Postmodam ibi: “Sed ne tanti”. Magister ponit solutionem et facit duo.

Primo enim solvit dicens quod, ne tanti doctores mutuo contradicere videantur, dicendum est quod utrumque potest dici catholice, videlicet quod Filius semper nascitur et quod Filius semper est natus; et quod dicit Gregorius verius dicit quod semper natus est, non debet intelligi quin aliud vere et catholice dici possit. Sed quod evidentius ex hoc modo loquendi veritas exprimitur, et haereticorum versutia melius obturatur, quia cum dicitur Filius semper nascitur, forte possent inferre haeretici quod generatio quotidie iteretur.

Secundo ibi: “Hilarius quoque”. Solutionem confirmat inducendo quatuor auctoritates Hilarii, quibus confirmat istam solutionem, quia in omnibus quatuor auctoritatibus dicit Hilarius quod Filius nascitur in praesenti, ex quo patet quod catholice dici potest quod Filius semper generatur a Patre, licet forte si[n]t maioris congruentiae quod ‘semper natus’ dicatur propter evidentiam potiore.

Postmodum ibi: “Dicamus ergo”. Magister ponit quandam collectionem dictorum. Et circa hoc duo facit.

Primo enim praedeterminata recolligit, dicens quod ista duo sunt catholice profitenda: quod Filius ante tempora de Patre natus est, et quod de eo nascitur semper, et per consequens quod est aeternus; nec propter hoc est non natus, quia quod ab aeterno nascitur, habet esse aeternum.

Secundo ibi: “Sed inquit Haereticus”. Magister obiicit ex dictis haeretici, contra id quod statim dictum est. Unde probat haereticus quod natum non possit esse aeternum, quia omne quod nascitur, ad id nascitur, ut sit. Ergo ante non est, ut videtur. Et respondet Magister quod hoc argumentum tenet in rebus humanis, ubi Pater non semper est Pater, sed ex tempore; in Deo vero qui semper est Pater, necesse est ut Filius semper sit, et quod sit proprium eius aeternaliter generari.

Haec est sententia.

**Utrum Filii generatio mensuretur aeternitate.** Et quia Magister hic quaerit an Filii generatio sit in continuo fieri, ita quod dici possit de eo quod continue generatur aut sit in facto esse et in comple[men]to, ita ut melius dicatur quod semper natus est, ideo inquirendum occurrit utrum generatio mensuretur aeternitate.

Et videtur primo quod non, illud enim non mensuratur aeternitate, de quo enun-/Vb 173vb/-  
 ciantur verba praesentis temporis, praeteriti, et futuri, quia aeternitas est extra omne tempus. Sed  
 de generatione Filii enunciantur verba ista. Dicitur enim in praeterito per Prophetam: “ante  
 Luciferum genui te”; et per Sapientem de praesenti: “Ante omnes colles generat me Dominus”;  
 60 et de futuro dicitur quo ad Spiritum Sanctum: quod “de meo accipiet”; eodem modo posset dici  
 de Filio. Ergo huiusmodi generatio non mensuratur aeternitate. /X 332b/

Praeterea, illud quod intelligitur per modum fluxus, et cuiusdam egressus, non potest  
 mensurari aeternitate, quia fluxus videtur importare mutabile aliquid et transitum quendam, qui  
 repugnat aeternitati. Sed generatio Filii est per modum cuiusdam egressus, ait enim propheta  
 65 Michaeae 5 quod egressus eius est ab initio ex diebus aeternitatis. Ergo generatio non  
 mensuratur aeternitate.

Preterea, generatio Filii coaequatur durationi Dei. Sed Deus excedit aeternum, secundum  
 illud I Reg 2: “Dominus regnabit in aeternum et ultra”. Ergo generatio Filii excedit aeternum.

Praeterea, duratio creaturae non coaequatur generationi divinae. Sed aliquae creaturae  
 70 manent in aeternum, secundum illud Ecclesiast. I: “Terra autem in aeternum stat”. Ergo idem  
 quod prius.

Praeterea, quod fit, non est. Sed Filius in aeternum est. Ergo non generatur in aeternum; non  
 igitur generatio mensuratur aeternitate.

Praeterea, nihil mensuratur nisi quantum. Sed generatio Filii non habet quantitatem nec  
 75 permanentem nec successivam. Igitur nec mensuratur aeternitate.

Praeterea, si generatio Filii mensuretur aeternitate, erunt plures aeternitates in Deo, quia alia  
 aeternitate mensurabitur processio Spiritus Sancti, alia generatio Filii, et essentia alia, quot enim  
 sunt res, tot debent esse aeternitates. Sed hoc poni non potest, quia aeternitas est perfectio  
 simpliciter, quae non plurificatur in divinis. Igitur generatio Filii non mensuratur aeternitate.

80

**Quod Filii generatio aeternitate mensuretur.** Sed in oppositum videtur quod Augustinus dicit  
 83 *Quaestionum*; ait enim quod Filius est, quia natus est. Semper autem Filius est. Semper igitur  
 natus est.

Praeterea, Filius a Patre nascitur, sicut splendor a sole secundum illud Apostoli ad Hebr. I,  
 85 dicentis de Filio quod est splendor gloriae et figura substantiae eius. Sed splendor semper  
 nascitur, quamdiu Sol existit, sicut Augustinus dicit VI *De trinitate*, capitulo 1, quod splendor,  
 qui gignitur ab igne coaevus est igni, et esset coaeternus, si ignis esset aeternus. Ergo generatio  
 Filii a Patre est aeterna.

Praeterea, generare et generari simul sunt. Sed generare Patris mensuratur aeternitate. Ergo  
 90 et generari Filii.

**Responsio ad quaestionem.** Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo  
 namque inquiretur quid sit aeternitas secundum opiniones doctorum. Secundo vero dicetur quid  
 sit iuxta id quod videtur. Tertio quoque inquiretur an sit una aeternitas omnium, quae sunt in  
 95 Deo. Quarto ex hoc videbitur quomodo aeternitate generatio mensuretur, et per quae verba  
 melius exprimatur. /X 333a/

## Articulus Primus

**Opinio Thomae, parte prima, quaestione 10, articuli 1.** Circa primum ergo considerandum  
 100 quod aliqui dicere voluerunt rationem aeternitatis consistere in apprehensione uniformitatis eius,  
 quod omnino est extra motum, /Vb 174ra/ sicut ratio temporis consistit in apprehensione  
 difformitatis motus secundum prius et posterius, cum nihil aliud sit tempus quam numerus  
 motus secundum prius et posterius. Et est ulterius advertendum quod sicut apprehensio temporis  
 causatur in nobis eo quod apprehendimus fluxum ipsius nunc, ita apprehensio aeternitatis, in  
 105 quantum apprehendimus nunc stans, unde nunc stans causat aeternitatem.

Sed haec opinio stare non potest quo ad tria quae ponit.

Primum quidem, quod ait aeternitatem consistere in apprehensione uniformitatis eius, quod  
 omnino est extra motum, sicut enim se habet tempus ad difformitatem motus, sic se habet  
 aeternitas ad uniformitatem eorum, quae sunt extra motum. Sed ratio temporis non consistit in  
 110 difformitate ipsius motus, sed in mora difformitatis. Ergo nec ratio aeternitatis consistit in

uniformitate eorum, quae sunt extra motum, nec in apprehensione uniformitatis, sed in apprehensione morae istius uniformitatis.

Praeterea, ratio aeternitatis non consistit in opposito motus. Sed uniformitas opponitur varietati motus. Non ergo consistit aeternitas in uniformitate, sed magis in mora uniformitatis, sicut et tempus non consistebat in difformitate motus, sed in mora difformitatis.

Praeterea, ratio mensurae non consistit in ratione mensurati. Sed uniformitas est id quod mensuratur per aeternitatem. Ergo aeternitatis ratio non consistit in uniformitate, sed in duratione et mora ipsius.

Praeterea, sicut se habet tempus ad motus varietatem, sic aeternitas ad Dei immutabilitatem. Sed ratio temporis consistit in numeratione motus secundum prius et posterius, quod nihil aliud est quam motum summare, ut ita dici liceat; sicut enim numerus est summa permanentium, cum dicitur decem vel mille, sic tempus est summa successivorum, unde cum summatur motus tunc causatur tempus, quod nihil aliud est quam summa motus secundum prius et posterius. Ergo sic se habebit aeternitas ad uniformitatem Dei, quod non erit ipsa uniformitas, sed summa durationis et morae ipsius.

Praeterea, uniformitas et incommutabilitas idem sunt. Sed ratio aeternitatis non consistit formaliter in apprehensione incommutabilitatis, aliud enim attributum est incommutabilitas et aliud aeternitas. Ergo non consistit ratio aeternitatis in apprehensione uniformitatis.

Secundum vero in quo stare non potest est quia dicit quod in Deo est nunc stans, causans aeternitatem secundum nostram apprehensionem; nunc enim nullo modo potest Deo attribui secundum verum intellectum, quod enim abstrahit a tota linea successionis, abstrahit a nunc, quia nunc non invenitur extra successionem. Sicut enim **/X 333b/** indivisibile positionis, quod est punctus, non invenitur extra lineam permanentem, sic indivisibile durationis, quod est nunc, non invenitur extra decursum successionis, cuius ratio est quia indivisibile positionis non potest imaginari per modum cuiusdam solitarii, sed per modum termini lineae, et ideo punctus divisio appellatur, et consimiliter imaginari non potest indivisibile durationis, nisi ut terminus decursus durativi, qui est successio. Sed constat quod Deus abstrahit ab omni successione. Ergo abstrahit ab omni nunc.

Et si dicatur quod verum est nunc temporis non esse in Deo, non tamen est verum **/Vb 174rb/** de nunc aeternitatis, non valet hoc, quia probatum est quod de formali ratione ipsius nunc, in quantum nunc, est quod sit terminus durationis et decursus successivi, et tollere a nunc hanc rationem, est tollere ne sit nunc.

Praeterea, sicut se habet nunc ad Deum, sicut instans, et iam, et modo, et similia aequipollentia ipsi nunc. Sed constat quod instans, et iam, et modo non habent locum in Deo, non potest enim intelligi instans circa aliquid, cui nihil instat, aut adest, aut accedit, quoniam instans dicitur ab instando, et hoc modo concipitur. Ergo nunc non potest attribui Deo.

Praeterea, illud quod de sua formali ratione non est aliud quam accessus, non potest poni in Deo, cui nihil accedit de novo. Sed nunc concipi non potest nisi per modum accessus; est enim id quo mutatum esse instat, accedit, et adest, unde nullus potest concipere nunc nisi per modum cuiusdam accedentis, et instantis, et quod habet adesse. Ergo impossibile est quod attribuat Deo.

Praeterea, nunc et tunc dicuntur ad invicem, ubicumque enim est nunc, ibi est tunc, et olim quod apparet quod sicut hic et ibi sunt differentiae positionis, ita nunc et tunc sunt differentiae durationis. Impossibile est autem reperiri hic sine ibi et alibi, ideo enim una pars lineae est hic, quia alia est ibi, quod si omnia essent annihilata praeter unam lineam, tota linea non posset assignari alicubi, quia non esset aliquid aliud, quod alibi poneretur, sed cum ponitur infra caelum, tunc potest assignari alicubi, quia sunt alia quae habent alibi esse; unde totus mundus non habet ubi assignetur, nec potest aliquis intellectus dicere mundus est hic, quia non est aliquid habens esse alibi respectu cuius mundus dicatur hic esse. Consimiliter intelligendum est de nunc, quia nihil est nunc secundum propriam rationem, nisi in ordine ad tunc. Sed constat quod Deus non habet tunc, quia nihil est ibi praeteritum. Ergo nec in Deo erit ratio ipsius nunc.

Praeterea, idem est dictu tunc et nunc quod prius et posterius. Sed in Deo non est posterius aliquid. Ergo in Deo non est nunc secundum suam rationem.

Nec valet quod aliqui consueverunt dicere, quod duplex est nunc, unum partiale quod dicitur respectu tunc, et illud est nunc temporis quod nullo modo est in Deo; et aliud totale et

permanens, quod est nunc aeternitatis, et tale potest poni in Deo. Siquidem hoc non valet, est enim similis distinctio, ac si diceretur quod est duplex Filius, unus qui relative dicitur ad Patrem, et /X 334a/ alius qui dicitur absolute sine habitudine ad Patrem, nec enim ex sua formali ratione idem est quod instans, et accedens, et ideo novitatem importat, et dicitur relative ad tunc, sicut dictum est de ibi vel hic, quae relative dicuntur in positione et situ.

Tertium quoque in quo stare non potest est hoc quod dicit nunc posse concipi per modum stantis et permanentis, et ita nunc stans causare aeternitatem. Illud enim quod de ratione sua consistit in quodam accedere, instare, et adesse, non potest apprehendi per modum permanentis, nisi accedere et adesse et instare concipi possint per modum permanentis, quod est impossibile, contradictoria namque sunt. Sed probatum est quod conceptus ipsius nunc consistit in quodam adesse et instare atque accedere. Igitur non potest concipi per modum stantis aut permanentis.

Praeterea, illud non potest concipi per modum permanentis, quod non potest bis demonstrari ab aliquo imaginante, sed nullus qui apprehendat nunc, potest ipsum bis per imaginationem significare aut de-/Vb 174va/-monstrare, postquam enim ipsum semel demonstravit si redeat iterum, iam transivit in tunc. Et hoc est quod dicit Philosophus IV *Physicorum*, ubi dicit Commentator, commento 106, quod instans non potest bis demonstrari, adeo quod instans demonstratum secundo est aliud ab eo quod demonstrabatur primo, et sequitur quod non est possibile idem instans demonstrari bis, nisi fuerimus imaginati quod fuerit sicut punctus. Et ex hoc reprehendit ibidem Themistium. Unde expressa mens est Philosophi secundum expositionem Commentatoris, quod impossibile sit nunc vel instans imaginari per modum stantis. Ergo nunc stans nihil potest causare, sicut nec albedo nigra, vel calor frigidus. Et si dicatur quod ipsi loquuntur de nunc temporis, dicendum quod ipsi loquuntur de quidditativa ratione ipsius nunc, secundum quam apparet quod dictum est.

Et in hoc primus articulus terminetur.

190

## Articulus Secundus

**Quid dicendum iuxta id quod videtur, et primo quod aeternitas non est duratio formaliter.** Circa secundum autem considerandum quod ratio aeternitatis colligi potest ex tribus propositionibus.

Prima quidem quod non est duratio formaliter, immo nihil est duratio formaliter nisi tempus aut terminus temporis, quod est nunc vel instans. Hoc autem potest multipliciter declarari, omnis enim duratio durationi alteri comparata, vel est maior vel minor vel aequalis, quod patet ex durantibus. Acceptis enim quibuscumque quae durant, necesse est quod vel durent aequaliter, vel unum plus altero; sed nulla duratio potest esse maior vel minor nisi consistat in quadam successione secundum prius et posterius, quare enim duravit aliquid plus quam aliud, vel durabit, non est nisi quia fuit ante et prius, vel quia erit posterius, nec exclusa ratione prioris et posterioris potest concipi de aliquo quod duraverit plus vel minus aliquo alio. Constat autem quod prius et /X 334b/ posterius sunt de ratione temporis. Ergo nulla est formaliter duratio nisi tempus.

Praeterea, omnis duratio intelligitur per modum cuiusdam morae et distensionis. Aut igitur talis distentio et mora apprehenditur secundum ante et post, aut secundum quandam simultatem et permanentiam. Sed non secundum quandam simultatem, quia quantumcumque esset maior distensio, non esset amplior duratio, cum simul esset tota distensio. Relinquitur ergo quod omnis mora et distensio durativa apprehendatur secundum ante et post, et ita per modum cuiusdam successivi et temporis.

Praeterea, omnis duratio habet formaliter unde possit dici tanta vel tanta, quaeritur enim de omni durante quantum duravit aut quantum durabit. Sed constat quod non est quantitas nec tantitas nisi sit ibi aliqua multitudo et pluralitas; nec quaelibet multitudo, quia non permanentium, sed sibi invicem succedentium secundum ante et post. Unde patet ex terminis quod apprehendens aliquid plus durasse, apprehendit quod habuit plus de priori et posteriori; nec enim potest concipi etiam de Deo quod plus duraverit quam mundus nisi quia concipitur fuisse ante vel prius et habuisse plus de priori. Ergo impossibile est durationem formalem esse aliquid nisi tempus.

Praeterea, sicut se habet extensio permanens ad lineam, sic extensio successiva ad tempus. Sed impossibile est ima-/Vb 174vb/-ginari extensionem permanentem quin linea apprehendatur,

220

non est enim aliud linea quam extensio permansiva. Ergo nec successiva distensio est aliud nisi tempus. Constat autem quod omnis duratio et omnis mora est quidam decursus secundum ante et ante; unde quicquid imaginamur plus durasse, imaginamur prius fuisse. Igitur nihil est formaliter duratio nisi tempus.

225

**Quod aeternitas, prout se tenet ex parte Dei, non est formaliter duratio, sed vis qua Deus attingit omnem durationem possibilem imaginari.** Secunda vero propositio est quod aeternitas, prout se tenet ex parte Dei non est duratio formaliter, sed id quo deus attingit omne tempus sive omnem durationem imaginabilem, ita ut nulla possit apprehendi duratio, nec in ante, nec in post, quin Deus semper assistat; sicut enim se habet immensitas ad Deum in ordine ad locum, sic se habet aeternitas in ordine ad durationem. Sed immensitas non ponit in Deo aliquam magnitudinem permansivam, aut aliquam extensionem, sed tantummodo dicit vim qua Deus omnem locum attingit absque sui extensione. Ergo aeternitas non dicit aliquam durationem, aut moram divini esse formaliter, sed vim qua Deus attingit omnem durationem imaginari possibilem absque <successione> [suae esse Vb] et successiva distensione.

230

235

Praeterea, omne id quod est formaliter duratio, includit prius et posterius et successionem, sicut probatum est. Sed prius et posterius non est in Deo, licet sit vis in eo qua omne prius attingit, et omne posterius, ita ut nullum prius aut posterius imaginari possit, quin Deus coassistat, /X 335a/ vel quin illud Deo assistat. Ergo aeternitas non est duratio, prout se tenet ex parte Dei, sed vis qua Deus omnem durationem attingit.

240

Praeterea, dictum est supra quod attributa dicunt divinam essentiam formaliter cum certo connotato. Constat autem quod aeternitas est unum de attributis. Ergo importabit divinam essentiam, prout virtute eius, non virtute aliqua addita attingit Deus omne tempus quod imaginari potest.

245

Est autem hic considerandum quod mens apprehendens Deum aeternum, non concipit circa Deum aliquam moram aut durationem, quam sibi formaliter attribuat, alioquin imaginaretur Deum subiectum prioris et posterioris, et per consequens temporis, quod esse non potest; sed imaginatur moram et durationem absque terminis, cui Deus virtute sua coexistit, sicut qui concipit Deum immensum, non debet imaginari distensionem aliquam circa eum, aut magnitudinem permansivam, sed debet apprehendere vim in Deo, qua omni magnitudini et loco imaginari possibili coassistat. Haec autem vis non est aliud quam deitas ipsa. Secundum hoc ergo accipiendus est Deus aeternus, non quia apprehendatur aliqua mora, aut duratio circa ipsum, sed quia vim habet, qua de necessitate attingit omnem imaginabilem durationem et moram. Unde tempus quod imaginatur absque fine et principio dicitur aeternitas formaliter, eo modo quo Philosophus probat mundum esse ab aeterno; Deus autem dicitur aeternus, quia illi coexistit.

250

255

Huic tamen obviare videtur quod omnis permanentia videtur mora aliqua mensurari, et similiter esse non potest intelligi absque duratione, ut dictum est supra. Sed Deus verissime ma- /Vb 175ra/-net et est sive existit. Ergo habet formaliter permanentiae et existentiae suae moram, quae, cum non habeat principium et finem, erit aeternitas. Et ita aeternitas est formaliter duratio apprehensa circa esse divinum.

260

Praeterea, impossibile est quod aliquid durationi coexistat nisi duret formaliter, coexistere enim durationi est habere durationem simultaneam. Simultas autem durationis exigit ex utraque parte durans, est enim relatio fundata super duabus relationibus, sicut aequalitas est unitas duarum quantitatum. Sed iam dictum est quod Deus attingit omnem durationem imaginari possibilem. Ergo in se ipso formaliter durat.

265

Praeterea, duratio non videtur aliud quam summa permanentiae, summare videlicet quamdiu res permansit. Sed permanentia rei uniformiter se habentis, ita potest summari, sicut et permanentia seu mora motus; unde potest apprehendi, quamdiu Michael in eodem statu permansit, sicut et quamdiu motus caeli duravit. Ergo circa rem invariabiliter existentem potest apprehendi duratio formaliter.

270

Sed his non obviantibus, dicendum est id quod prius. Omnis enim duratio in apprehensione consistit, cum non sit aliud quam quaedam numeratio et computatio secundum prius et posterius, sive quedam distensio morae, quam mens colligit ut Philosophus docet in IV *Physicorum*. Impossibile est ergo quod mens durationem aliquam apprehendat, /X 335b/ nisi

275

per modum distensionis in ante vel in post; hoc autem est expresse tempus. Omne ergo quod formaliter duratio est, tempus est, sicut manifeste apparet ei qui concipit terminos. Propter quod nec aeternitas nec aeviternitas duratio formaliter dici potest, nisi quatenus intellectus fingens tempus apprehendit quod Deus omni parti temporis coexistit, quantumcumque imaginetur  
280 infinitum a parte ante vel a parte post.

Est tamen intelligendum quod haec coexistentia potest intelligi esse duarum quantitatum, ita ut utraque quantitas cadat sub imaginatione, et sic caelum et omnia incorruptibilia corpora sunt in tempore, non quidem per continentiam sed per coexistentiam; vel potest intelligi esse duarum realitatum, et sic abstrahitur ab omni quantitate per intellectum ex parte alterius extremi, non ex  
285 parte ipsius temporis, et hoc modo Deus dicitur attingere omne tempus per coexistentiam abstrahentem a quantitate ex parte ipsius Dei. Unde dicit Commentator, IV *Physicorum*, commento 116, quod corpora caelestia, licet non sint in tempore, secundum quod tempus non continet ea, tamen sunt existentia cum tempore, scilicet quod esse eorum est in motu, et coexistens cum esse temporis coexistentia quantitatis cum quantitate. Res vero separatae non  
290 habent continentiam nec coexistentiam cum esse temporis. Haec ille. Unde secundum intentionem Philosophi [et suam] non solum Deus, immo omnia separata abstrahunt a duratione, et dicuntur aeterna propter vim attingendi omnem durationem imaginari possibilem. Secundum <fidem> [quidem] vero et veritatem omnimodam solum Deus habet huiusmodi virtutem, omnia vero alia, sicut et corpora caelestia, sunt in tempore per coexistentiam quantitatis cum  
295 quantitate, quoniam esse tam caelorum quam animarum quam angelorum est in quadam continua /Vb 175rb/ manutentia, sive hoc fiat per aliam actionem quae appelletur conservatio sive per continuationem primi influxus. Unde esse omnium istorum dependet a quadam continuatione, propter quod influxus coexistunt tempori coexistentia quantitatis: solus autem Deus est simpliciter extra tempus in quantum esse eius non continuatur, unde non coexistit  
300 partibus temporis coexistentia quantitatis; reliqua vero entia generabilia et corruptibilia sunt in tempore per continentiam in quantum sunt in esse transmutabili, per hoc quod subsunt motui caelesti et ideo subsunt etiam tempori, et continentur ab ipso, unde tempus est causa corruptionis in eis, et excedit ea per modum continentis. Sic igitur colligi potest triplex habitudo entium respectu durationis.

305 Prima quidem corruptibilium, quae sunt in tempore per quandam subiacentiam. Subiacent enim tempori et continentur ab eo.

Secunda vero incorruptibilium spirituum et corporum, quae sunt in tempore per quandam assistentiam in quantum esse eorum in quadam continuatione existit, non tamen subsunt tempori, quia nec corrumpuntur nec transmutantur in eo, nec etiam continentur a tempore, immo  
310 sibi aequantur, inceperunt enim cum tempore, saltem caeli et separatae intelligentiae.

Tertia quoque est solius Dei, qui extra omnem durationem, et aspicit eam per quandam praesidentiam, praesidet enim cuilibet parti temporis /X 336a/ et durationis imaginabilis in ante et post in infinitum, eo modo quo praesidet omni alteri creaturae. Unde magis proprie dici potest aeternitas quadam vis qua Deus praesidet omni parti durationis, et omnis sibi subiacet, quam,  
315 quod dicatur vis qua Deus omni parti temporis coexistit. Hic enim notatur quaedam coaequatio et relatio aequalitatis, secundum quam videtur Deus referri ad tempus, ibi vero notatur praeeminentia, secundum quam tempus subiacet Deo, et refertur ad ipsum, ut ita sit ex parte creaturae relatio, et sola denominatio ex parte Dei.

Praemissae vero instantiae non procedunt. Prima siquidem non, quoniam nulla permanentia  
320 potest mensurari secundum durationem ex apprehensione solius permanentis, immo necesse est decursum aliquem successivum mente apprehendi, sub quo sit talis permanentia, et sic mensurari omnia transmutabilia, vel cum quo sit permanentia per modum cuiusdam coexistentiae et simultatis, et ita caelum et intelligentiae, quoad sui permanentiam mesurantur, vel super quem sit permanentia. Et sic dicitur mensurari esse divinum, secundum modum  
325 nostrae considerationis. Unde nullo modo non apprehenso tempore, potest aliqua res mensurari durative.

Et per idem patet ad secundam, quia non proprie dicitur Deus durationi coexistere, ne apprehendatur relatio simultatis; sed dicitur tempori praesidere, ut concipiatur relatio, et subiectio ex parte temporis.

330 Per idem etiam patet ad tertiam, nulla enim entitas potest summari durative nisi apprehenso priori et posteriori.

**Quod omnia quae de aeternitate dicuntur, referuntur ad ea quae dicta sunt.** Tertia quoque propositio est quod dicta de aeternitate habent referri ad istum intellectum. Dionysius namque  
 335 **/Vb 175va/** *De divinis nominibus* exponit quare Deus dicitur Rex saeculorum, et dicit quia Pater facit esse tempora et aevum existentium. Deus enim non quodam modo est existens, sed simpliciter et incircumscripse totum in se ipso esse accepit, et praeaccepit, propter quod dicitur Rex saeculorum, est enim totius esse, et entis substitutor. Unde ipse est aevum aevorum, qui est ante saecula: omne quidem aevum, et tempus ex ipso est, et omnis saeculi ac temporis est  
 340 praeexistens principium et causa. Haec Dionysius. Unde patet quare Deus dicitur Rex saeculorum, et ante saecula et aevum aevorum, dicitur enim non per continentiam, quasi contineatur ab aliqua duratione, sed per praesidentiam, quia omne tempus ab ipso causatur. Idem quoque Dionysius, 10 capitulo, dicit quod Deus laudatur antiquus dierum propter hoc quod intransmutabilis secundum omnem motum existens aevi et temporis et dierum est causa; et  
 345 in fine capituli concludit quod Deum sicut aevum et sicut tempus laudare convenit, sicut temporis et aevi causam, est enim super aevum et regnum ipsius, regnum omnium saeculorum. Haec ille. Ex quo apparet qualiter durationes dicuntur de Deo, non enim nisi quia praesidet, sicut causa omnis durationis; eodem autem capitulo, assignans proprietates aeternitates, dicit quod proprietas aevi est antiquum, invariable, totum secundum totum metiri, quod **/X 336b/**  
 350 ergo dicit invariable, referri debet ad vim deitatis, per quam Deus omne tempus attingit. Quod autem addit “antiquum” referri debet ad durationem imaginabilem infinitam in ante; quod vero adiungit “<totum> secundum totum metiri” referri habet ad praesidentiam et causalem attingentiam qua Deus metiri dicitur totam durationem imaginabilem, non secundum aliquam partem finitam, immo secundum totalitatem infinitam. Ac si apertius diceretur, aeternitas est  
 355 quaedam invariabilis vis qua Deus omnem antiquitatem secundum suam totalitatem metitur, et causative ac praesidendo attingit. Boethius autem, *De consolatione*, libro <\*\*\*>, dicit quod aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio ut simultas referatur ad vim; interminabilitas vero vitae ad durationem imaginabilem absque terminis, quam Deus sua vivacitate attingit.

360 Sic igitur patet quid sit aeternitas, formaliter enim loquendo, si debeat poni duratio, non est aliud quam tempus terminis carens, secundum quod quaerit Philosophus, VIII *Physicorum*, utrum motus fuerit ab aeterno; secundum vero quod est in Deo, non est formaliter duratio, sed id quo totam illam durationem, quae caret terminis, quae vocatur tempus aeternum, praesidendo Deus attingit. Similiter aeviternitas formaliter, secundum quod est duratio, non est aliud quam  
 365 tempus habens principium et carens fine; prout vero competit caelo vel angelis, non est aliud quam vis qua huiusmodi tempus coexistendo attingunt. Et secundum hoc patet quanta est differentia inter aeternum et aevum, prout se tenent ex parte Dei et aeviternorum. Sunt enim diversae virtutes deitatis qua Deus attingit omne tempus, et natura cuiuslibet aeviterni; differunt etiam ex parte temporis connotati, nam aeternitas connotat omne tempus, aeviternitas vero  
 370 tempus carens fine sed non principio, quia nulla creatura est possibilis ab aeterno, ut in secundo declarabitur; differunt quoque et in **/Vb 175vb/** modo se habendi, Deus enim in quantum aeternus attingit per modum praesidentis tempus, aeviternum autem coexistit tempori per modum simul existentis; aeternitas itaque, prout est attributum, dicit deitatem cum certo connotato, videlicet cum duratione, et tempore termino quocumque carente.

375 Et in hoc secundus articulus terminetur.

### Articulus Tertius

**Utrum sit una aeternitas trium personarum. Opinio quorundam.** Circa tertium autem considerandum quod aliqui dicere voluerunt, aliam aeternitatem esse in Patre, et aliam in Filio,  
 380 iuxta illud quod habetur Extra De summa trinitate et fide catholica, capitulo firmiter, ubi dicitur quod tres personae, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sunt coaequales et coaeterni et coomnipotentes.

Sed haec opinio stare non potest, quia nulla perfectio simpliciter est personalis in divinis, non enim ponere bonitatem personalem nec perfectionem; omnis quippe perfectio communis est

385 tribus personis. Sed aeternitas est perfectio simpliciter, ergo communis est tribus. Non est igitur aliqua aeternitas personalis. /X 337a/

Propter quod dicunt alii quod trium personarum est una aeternitas, quia est unum esse. Sed nec hoc videtur sufficere. Constat enim quod non est eadem realitas paternitatis et filiationis, et quod Pater et Filius realiter distinguuntur, quamvis essentialiter sint unum, prout ergo realiter  
390 distinguuntur, videntur habere diversas permanentias et distinctas aeternitates per oppositum rationis illius.

Propterea, dicendum est quod aeternitas est vis qua Deus attingit praesidendo omnem durationem imaginari possibilem secundum post et ante. Sed vis illa in tribus personis non est nisi unica, scilicet deitas. Quod patet ex hoc quod personae non praesident creaturis, nisi per  
395 rationem deitatis; et iterum, quia vis illa, qua attingitur omne tempus, videtur pertinere ad necessitatem essendi; proprietates autem sunt necessariae formaliter propter indistinctionem quam habent ad essentiam, et essentia ab eis, propter hoc enim determinantur ad esse et repugnat eis non esse, sicut et essentiae, quae indistinguuntur ab eis. Igitur vis attingendi omne tempus inest eis ex essentia, cum qua identitantur. Ad hoc etiam actus intellectus magis est  
400 praecisivus quam quaecumque creatura. Dictum est autem supra quod tanta est connexio personarum propter indistinctionem proprietatum personalium ab essentia, quod intellectus videns unam personam necessario videt simul tres, quare et tempus non potest subiacere ulli personae, quin eadem subiacentia subsit tribus. Iterum etiam personae sic mutuo inexistunt et immanent in se ipsis, ut ubi est una per immensitatem ibi sit alia, ut declarabitur infra; quare et  
405 per aeternitatem nihil attingit una persona, quin attingat et reliqua. Relinquitur ergo quod sit trium personarum una aeternitas, sicut et una necessitas, propter quod Athanasius dicit quod non sunt tres aeterni, sed unus aeternus. Quod autem capitulum Firmiter dicit, quod sunt tres coaeterni, et similiter Athanasius quod totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales, dicendum quod 'coaeternum' importat relationem participantium eandem trinitatem, propter  
410 quod non potest dici quod sint tres aeterni; potest tamen dici quod sunt tres coaeterni, quia dicendo tres sunt coaeternus, non appareret /Vb 176ra/ inter quos esset relatio; unde proprietates locutionis cogit, ut fiat enunciatio in plurali, dici etiam potest quod adiective tenetur cum ponitur in plurali, substantive vero quando in singulari, adiectivum enim numeratur penes supposita, substantivum autem penes formam importatam.

415 Et in hoc finitur tertius articulus.

### Articulus Quartus

**An Filii generatio mensuretur aeternitate, et per quae verba proprius exprimat.** Circa quartum autem considerandum quod aliqui imaginantur aeternitatem esse quandam durationem  
420 formaliter apprehensam, circa esse divinum, et isti habent ponere consequenter quod generatio Filii mensuretur illa duratione. Hoc autem dici non potest, omnis namque durativa mensura apprehenditur secundum decursum prioris et posterioris, ut supra probatum /X 337b/ est. Omnis autem talis decursus est tempus. Igitur non potest poni quod generatio Filii taliter intrinsece mensuretur. Propterea dicendum quod generatio Filii non dicitur mensurari aliqua duratione  
425 intrinseca, quae aeternitas appelletur, sed quatenus habet vim qua aeterno tempori praesidet attingendo; unde aeterno tempore dicitur a nobis mensurari, non quidem subiacendo eo modo quo mutabilia, nec coexistendo eo modo quo aeviterna, sed attingendo per quandam praesidentiam, ut duratio intelligatur per modum subiacentis et inferioris. Et hoc modo dicitur generatio Filii mensurari aeternitate, non intellecto quidem tempore, impossibile est ipsam  
430 mensurari, apprehenso autem eo per modum subiacentis ipsi Deo et generationi ipsius, statim concipitur Filii generatio ut aeterna, illud enim dicitur aeternum quod attingit omnem durationem imaginari possibilem, secundum post et ante; generari autem divinum est quaedam res praeeminens et excellens, cui subiicitur omne tempus, et omnis duratio carens terminis imaginanda est ut sibi subiecta; igitur mensuratur per hunc modum aeternitate, non quidem  
435 formaliter sed quasi connotative et subiective, quia sibi subiicitur mensura. Temporalia quidem mensurantur tamquam subiecta mensurae, Deus autem et generatio Filii mensurantur per subiectam mensuram, unde dicuntur in aeternum durare, quia praesident aeternae durationi.

Ex his quoque patere potest quomodo per verba cuiuslibet temporis potest illa ineffabilis generatio explicari, dicendo quod semper genitus est, semper generabitur, et semper generatur.



440 Non enim enunciantur ista tamquam formaliter et intrinsece dicta, sed extrinsece et modo  
 subiecto, ut sit sensus: Filius semper genitus est, post sempiternum tempus imaginabile  
 impraeteritum, si quis apprehenderet ipsum inveniret subiecti Filii generationi; et praesens  
 similiter, ac futurum. Propter quod dicitur quod generabitur et generatur, omne namque  
 445 incommutabile quamlibet durationem attingit, Filii autem generatio incommutabilis est, et ita  
 omnem apprehensibilem durationem attingit.

Et si quaeratur per quod tempus melius exprimatur, dicendum quod tempus quodlibet  
 praecise dictum induceret errorem, qui enim praecise diceret Filium semper genitum, nec nasci,  
 aut nasciturum, non dubium quod erraret. Et similiter qui diceret ipsum nasci, /Vb 176rb/ nec  
 semper fuisse natum, secundum quod Magister determinat in littera, quia tamen haeretici  
 450 occasionem calumniae magis accipiebant ex verbo praesentis temporis, concedendo scilicet  
 quod semper generatur, quam ex verbo praeterito, dum diceretur quod semper genitus est, ex  
 primo enim conabantur novitatem inferre, ex secundo vero non poterant. Ideo dicit Gregorius  
 quod verius dicitur semper natus, et idem approbat Augustinus, 83 *quaestionum*, questione de  
 semper nato.

455 Et hic quartus articulus finitur.

### Responsio ad obiecta

Ad ea ergo, quae superius inducuntur, dicendum est. Ad primum quidem quod licet /X 338a/  
 Filii aeternitas sit extra omne tempus et omnem durationem, nihilominus omnem durationem  
 460 tamquam sibi subiectam attingit, vel potius sub ea omnis duratio decurrit et defluit. Unde per  
 omne tempus potest congrue explicari, habito isto respectu.

Ad secundum dicendum quod generatio Filii intelligitur per modum cuiusdam fluxus, eo  
 modo quo productum dicitur effluere et exire a producente. Sed si intelligatur per fluxum  
 successivus decursus, non est verum quod Filius hoc modo egrediatur a Patre per modum  
 465 fluxus.

Ad tertium dicendum quod aeternum saepe sumitur in Scriptura pro diutino tempore, sicut  
 Dionysius docet, 10 *De divinis nominibus*; dicit enim quod Scriptura multotiens antiquissima  
 aevi seu aeterni nominatione figurat; unde et David promisit Deus regnum in aeternum, quia in  
 tempus longinquum. Sic ergo debet intelligi quod Dominus regnabit in aeternum et ultra, quia  
 470 ultra quodcumque tempus, quantumcumque longinquum. Et per idem patet ad quartum, terra  
 enim propter diuturnitatem durationis, dicitur stare in /X 338b/ aeternum, vel quia finem non  
 habebit eius duratio, quamvis habuit principium.

Ad quintum dicendum quod generatio Filii dat Filio quod generetur et quod genitus sit: illa  
 quippe propositio quod fit, non est intelligi debet in his quae fiunt per motum et successivam  
 475 productionem, non de his quae productione indivisibili capiunt esse, illa enim, dum  
 producuntur, sunt, sicut patet de radio in aere diffuso a sole, quia cum diffunditur, est. Filius  
 igitur capit esse productione indivisibili, non quidem instantanea, nec aliqua mensura intrinsece  
 mensurata, sed quatenus ipsa incommutabilis existens omne tempus attingit, propter quod per  
 eam Filius dicitur genitus ratione infiniti praeteriti imaginari possibilis quod attingit, et dicitur  
 480 generari ratione praesentis, et quod generabitur ratione futuri. Et per hoc patet ad sextum.

Ad ultimum dicendum quod licet activa generatio et passiva sint duae res, nihilominus  
 habent eandem necessitatem essendi et vim durationem omnem attingendi, propter quod est  
 earum una aeternitas.